



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 91. Bajazethis responsum ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

que vias ingredi minime horreret. Ex Sæcul. XV. A.C. 1494.
 aduerso Alexandrum Ottomannicæ quietis studiosissimum esse, ac memorem recentis, sinceræ tamen amicitiae mutuo sancitæ; de cetero ad ipsius Sultani utilitatem plurimum conferre, ut, quamprimum fieri posset, tam periculosi hostis arma ab Italiæ finibus arcerentur.

§. XCI.

Bajazethis responsum ad Papam.

Bajazethes hac super re binas ad Pontificem perscripsit literas, in quarum prima Constantinopoli die decima quinta Septembris data significat, a se Pontificis nuncium læto animo fuisse exceptum, cunctisque, quæ is suo nomine relaturus esset, tuto fidem esse accommodandam. In altera ex eadem urbe die decimo octavo Septembris scripta mentionem ingerit de quodam Archiepiscopo, quem ad suas preces Cardinalium Collegio adscribi petit. Is erat Nicolaus Cibo Arelatensis Archiepiscopus, cui Innocentius VIII. Papa jam dudum purpuram destinaverat. Præterea Alexandrum permovere conatur, ut Zizimum fratrem ejus, quem in sua potestate habebat, morti traderet, ac in sceleris præmium Pontifici pollicetur trecenta Ducatorum millia, necnon toto vitæ suæ

Comm. ib. p. 474. & seq. P. Daniel hist. Gall. tom. 5. p. 91.

Sæcul. XV. tempore perennaturam cum Sede Apo-
 A C 1494. stolica amicitiam. Scriptorum nonnulli
 addebant, Bajazethem spondisse, se
 Pontifici, Regique Neapolitano sex mil-
 lia veteranæ militiæ equitum, totidem-
 que peditum ministraturum, hæc ta-
 men pacta ab Alexandro tam fideli silen-
 tio occultata fuisse, ut non nisi longo post
 temporis intervallo res innotuerit, ex ad-
 verso Alphonsum minime tam cauta
 taciturnitate usum fuisse, sed mox scede-
 re acceptato, forte ut hostibus suis terro-
 rem incuteret, rem propalasse. Nihilo-
 minus Sultanus nihil eorum, quæ promi-
 fit, adimplesse videtur.

§. XCII.

*Auxilia Castellæ, atque Arragoniæ
 Regum implorata.*

Eodem tempore summus Pontifex Fer-
 dinandi & Isabellæ Castellæ, ac Ar-
 ragoniæ Regum opem implorabat, eos
 sollicitans, quatenus in Siciliam classem
 mitterent, quæsito obtentu, ut hujus In-
 sulæ saluti consulerent, re tamen ipsa, ut
 opportuno necessitatis beneficio Neapo-
 lis Regi succurrerent. Reges Catholici
 Pontifici respondent, sibimetipsis non mi-
 nus, quam Papæ Gallorum viciniam
 quidem infestam esse; ast ad instruendam
 classem magnam requiri pecuniarum sum-
 mam